

missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur. (18. Pro infirmo autem etiam solet apponi sic: « Tibi, ut etiam diebus ut præfertur exceptis, si in illis ob infirmitatem domo egredi non poteris, in dicto oratorio prædictam unicam missam celebrari facere, ac illam cum una persona servitiis tuis necessaria duntaxat audire libere, et licite valeas. » Vel sic: « In tua, ac unius personæ servitiis tuis necessariæ duntaxat præsentia celebrari facere libere, et licite possis, et valeas. Volumus autem quod alii præter prædictam personam missæ ejusmodi ibidem interessentes ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur. » Et pro oratorio rurali solet poni sic: « In tua, ac familiæ et hospitem nobilium tuorum præsentia celebrari facere libere, et licite possis. Volumus autem, quod familiares servitiis tuis tempore dictæ missæ actu non necessarii ibidem missæ hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur. »

(19. Ex istis igitur, et similibus clausulis manifeste patet, quod familiares, seu famuli Indultarii in ejus domo inservientes, et ejus expensis viventes, nisi in actu celebrationis missæ servitio domini necessarii sint, indulto gaudere non possunt; sed ut præcepto Ecclesiæ de audienda missa diebus festis satisfaciunt, ad ecclesiam accedere tenentur non obstante, quod penes quosdam contrarius usus oppositum admittat, quia iste usus est corruptela et perniciosus abusus contra expressam intentionem Pontificis, ut clare patet in prima clausula, « Volumus autem, quod familiares servitiis tuis tempore dictæ missæ non necessarii, etc. » (20. Nec valet dici, quod præfata clausulæ apponantur in indulto de stylo potius officialium secretariæ brevium, quam de intentione vera Papæ, quia talis conditio, quæ est quinta tenoris sequentis: « Quinto, ut qui ibidem missam audiunt, non liberentur ab obligatione accedendi diebus præceptis ad Ecclesiam pro missis audiendis, præter eos famulos, et famulas tantum, qui servitio domini, cui facultas conceditur, fuerint necessarii; » fuit de voto sacræ cong. Concilii, Papa approbante, et mandante in hujusmodi indultis apposita in una Minervin. 4 Maii 1604, prout refert Fagnan., in cap. Auctoritate, post n. 22, De censibus, et Nicol., Lucubrat. canon., lib. v, tit. 33, De privileg. et excess., post n. 7, ampl. 7. (21. Unde cum talis conditio ponatur in indultis, de intentione expressa Pontificis, et declaratione sacræ congreg. Concilii, est omnino servanda, non obstante aliquorum contraria observantia, et abusu; quælibet enim magis lata interpretatio, nec in mente, nec in verbis comprehenditur Pontificis, cum ipse in indulto personas digito designet, et famulis actu non necessariis indultum non suffragari expresse declaret. (22. Imo addo, quod cum die 31 Julii 1706 in Auximana trans-

cripta fuisset in folio sac. cong. Concilii dicta clausula brevis, et propositum fuisset dubium: « An in vim dicti brevis satisfaciatur præcepto missæ in diebus festis omnes famuli commensales, vel quinam in casu? » Rescriptum fuit: « Dilata juxta mentem; » et mens fuit, quod orator peteret declarationem a Papa; ideoque si sacra congreg. Concilii noluit apponere manum propter satis claram mentem Papæ in dicta clausula expressam, nemo poterit illam latius, quam sonet, interpretari, et declarare. (23. Indultarii autem, qui in suis indultis majora habent privilegia, et ampliores clausulas, possunt iis libere, et licite uti sine ulla restrictione, cum hic sit sermo solummodo de indultis, quæ communiter et regulariter juxta communes clausulas solent concedi; adeoque attendenda sunt pro observantia indultariorum indulta. (24. In oratorio rurali ultra dimidium miliare ab ecclesia distante satisfaciunt omnes familiares, cum propter talem distantiam, et longam moram accessus, et recessus, ne servitium domini patiatur, omnes dicantur actu necessarii: sicuti etiam tempore hiemis, et magnæ pluvie: ex Monacell., tom. IV, n. 489. (25. Concesso privilegio domino, et famulis eidem inservientibus, absente domino, famuli audientes sacrum non satisfaciunt præcepto, ex decreto Clementis XI, 15 Decembris 1703. (26. Si autem dominus, auditio sacro in Ecclesia, ex devotione iterum audiat solitum sacrum in suo privato oratorio, tunc familia, et famuli actu domino inservientes satisfaciunt præcepto audiendi sacrum, cum facultas concessa domino audiendi sacrum in proprio sacello non sit solum ad audiendum illud pro satisfactione præcepti, sed etiam ad audiendum ex devotione, sicuti non est concessum familiæ, et famulis solum satisfaciendo præcepto, quando intersunt cum domino, vel inserviunt ei audienti ad satisfaciendum præcepto, sed quoties cum eo intersunt, et ei inserviunt, sive audiat ex præcepto, sive ex devotione. (27. Celebrato in ipso privato sacello uno sacro, non potest illa die aliud celebrari, neque per Regulares, ex cit. decr. Clementis XI, 15 Decembris 1703.

(28. Familiares autem sunt solum illi, qui expensis ejus, cujus dicuntur familiares, continuo vivunt, et morantur cum eo, indeque continui commensales dicuntur, cap. Sicut nobis. De verborum significatione, in 6; Barbosa, appellat. 96, n. 1, ubi cum aliis dicit, quod duo debent concurrere copulative, quod scilicet inserviant actu, et vivant expensis domini. (29. Et appellatione familiæ, quæ in privatis oratoriis potest audire missam, veniunt omnes illi, qui habitant in domo privilegiati cum quadam habitudine ad illum, uti sunt pater, mater, nurus, gener, uxor, filii, filiæ, nepotes, pronepotes, et alii quicumque de parentela habitantes, et conviventes cum illo. (30. Filii vero ac filiæ privilegiati, eorundem uxores, ac viri non gaudent hoc privilegio, si habitent in

eadem domo, sed vivant separatim propriis expensis, quia istæ personæ constituunt familiam omnino distinctam a privilegiato, cum vivant propriis expensis, habeant omnia servitia, et suos famulos seorsim a familia privilegiati, et licet maneant in eadem domo materiali, non constituunt tamen unam familiam formalem cum familia privilegiati, cum eis deficiat commensalitas, et convivia ipsius privilegiati expensis, prout requiritur, ex cap. Sicut nobis, De verborum significatione, in 6 (82).

(31. Alia vide verb. ORATORIUM, ubi late de omnibus clausulis.

ARTICULUS XVII.

Missa quomodo debeat audiri, et quænam requirantur ad satisfaciendum præcepto eam audiendi?

SUMMARIUM.

1. Missa debet audiri cum omni devotione mentis et cordis affectu, et cum omni compositione corporis et modestia, sine ulla confabulatione, et tumultu. — 2. Missa est audienda aperto capite, et vultu ad altare converso, nec est sedendum a principio canonis. — 3. Missa non est audienda cum armis; et transgressores puniendi sunt a iudice ecclesiastico. — 4. Fideles debent missæ interesse eodem decenti vestitu, quo in publicum prodire solent, et ita se componere, ut corporis habitu animi religionem præ se ferant. — 5. Missæ attendere debent auscultantes, et voto agere id, quod sacerdos agit ministerio. — 6. Ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio, quæ sufficit, etiamsi sit solum interpretativa, et virtualis consistens in actuali voluntaria assistentia, quantumvis non sit expressus animus satisfaciendi eidem præcepto. — 7. Hinc præcepto satisfaciendi eidem præcepto, qui solet interesse missæ, tanquam rei sacræ, qui adit ecclesiam volens partes christiani facere, qui adit, ut præsentia sua honoret sacrificium, qui ecclesiam adit ex nulla alia causa, et quicumque missam audit, si non constat, eum habere intentionem contrariam, præsumitur habere sufficientem. — 8. Imo satisfaciunt præcepto, etiamsi quis adeat ecclesiam cum intentione libidinosa videndi feminam, et simul audiendi sacrum, licet iste graviter peccaret. — 9. Audiens sacrum ob devotionem, ignorans esse diem festum, si postea advertat, non tenetur ad aliud sacrum. — 10. Audiens sacrum cum intentione ipsum audiendi ob devotionem, licet non habeat intentionem satisfaciendi per illum sacrum præcepto, vere satisfaciunt, etiamsi aliud sacrum non audiat. — 11. Si autem audiat tale sacrum cum positiva et actuali intentione per illud non satisfaciendi, secundum multos non satisfaciunt præcepto. — 12. Secundum autem plures alios satisfaciunt. — 13. Ad satisfaciendum requiritur etiam præsentia corporalis, et assistentia moralis. — 14. Non est tamen necesse, quod actu quis videat, aut audiat sacerdotem. — 15. Censetur quis moraliter præsens corpore, quamvis pergat ad sacristiam aliquid pro ministerio missæ allaturus, aut ad campanile campanas tracturus. — 16. Satisfaciunt præcepto qui de nave audiunt missam quæ celebratur in littore, sicuti et milites et suis tentoriis audientes eam quæ celebratur in campo publico ad distantiam 20 et 30 passuum. — 17. Missam audiens e fenestra suæ domus, si domus sit omnino conjuncta cum ipsa ec-

(82) Nota Romani theologi. In hujusmodi oratoriis celebrari, ac præcepto satisfieri non potest, nisi eadem missæ actu præsens sit aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum fuit. Hoc autem principaliter indultum concessum intelligitur iis,

clesia, satisfaciunt præcepto. — 18. Si autem domus sit omnino sejuncta ab ecclesia, ita ut inter fenestram et ecclesiam mediet via, seu platea, licet videat altare, in quo missa celebratur, non satisfaciunt præcepto. — 19. Qui interest missæ coactus, v. g. ligatus, et reluctans, non satisfaciunt, sicut nec ebrius, aut dormiens. — 20. Qui tempore missæ in altam contemplationem, seu extasim a sensibus abripitur, censetur adhuc satisfacere præcepto, maxime si pergat contemplari mysteria, quæ peraguntur in ipsa missa. — 21. Ad satisfaciendum requiritur etiam attentio tam interna quam externa. — 22. Quæ sit attentio interna? — 23. Et quæ externa? — 24. Non satisfaciunt præcepto, qui tempore notabili missæ scribunt, vel pingunt, aut negotia pertractant. — 25. Neque satisfaciunt, qui per notabile tempus de re seria confabulantur, vel res alias fixe aspiciunt et considerant, ita ut moraliter loquendo nequeant attendere ad ea quæ a sacerdote geruntur. — 26. Nec satisfaciunt, qui per notabilem partem missæ legunt attente librum profanum. — 27. Nec satisfaciunt, qui per notabilem partem missæ confitentur sua peccata. — 28. Satisfaciunt tamen præcepto qui tempore missæ conscientiam suam examinant, eliciunt actus doloris, vel aliis piis actionibus se præparant ad confessionem. — 29. Satisfaciunt etiam, qui tempore missæ recitant officium canonicum, vel penitentiam a confessario impositam et præceptam. — 30. Satisfaciunt etiam musici, et organedi, tympanistæ, chelistæ, tubicines, et hujusmodi, dummodo simul attendant quod a sacerdote in altari geritur. — 31. Sic pariter satisfaciunt collectores elemosynarum, si simul attendant ad missam, sicuti ministrantes missæ sufficienter attendunt exhibendo suum ministerium. — 32. Omnes supradicti, ut satisfaciunt præcepto, debent integram missam audire. — 33. Alia ad rem ad n. 49.

(1. Missa debet audiri cum omni devotione mentis, et cordis affectu, c. Decet, De immunit. eccles., in 6, cum omni compositione corporis, et modestia, sine ulla confabulatione et tumultu. Concil. Turon. III, c. 38; concil. Later. IV, c. 17; conc. Trid., sess. xxii, in decret. De observand. et evitand. in celebrat. missæ, in quo decreto circa medium mandat non permitti interesse sacrificio missæ; « Nisi prius, qui intersint, decenter composito corporis habitu declaraverint, se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse. » (2. Missa est audienda aperto capite, et vultu ad altare converso, nec sedendum est a principio canonis; conc. Mogunt. IV, cap. 59; concil. Mediol. I, part. II, tit. Quæ pertinent ad celebrat. missar. (3. Missa non est audienda cum armis; et transgressores puniendi sunt a iudice ecclesiastico; concil. Aurelian. III, c. 28. (4. Fideles debent missæ interesse eodem decenti vestitu, quo in publicum prodire solent, et ita se componere, ut corporis habitu animi religionem præ se ferant; concil. Mediolan., loco mox citato. (5. Missæ attendere debent auscultantes, et voto agere id, quod sacerdos agit ministerio; concil. Moguntin. IV, cap. 58. (6. Ad satisfaciendum præcepto requiri-

quibus breve dirigitur, vel facultas conceditur, ut possint in oratorio privato, cui ipsa persona assistit, missam celebrandam ordinare; ex dec. cong. Conc. relatis a Bened. XIV, in Epist. ejus initium Magno.

tur intentio, quæ sufficit, etiamsi sit solum interpretativa, et virtualis, consistens in actuali voluntaria assistentia, quantumvis non sit expressus animus satisfaciendi eidem præcepto. (7. Hinc præcepto satisfaciunt, qui solet interesse missæ tanquam rei sacræ; qui adit ecclesiam volens partes Christiani facere; qui adit, ut præsentia sua honoret sacrificium, qui ecclesiam adit ex nulla alia causa, si enim non adit ex alia, interpretatur adire ex ista, et quicumque missam audit, si non constat eum habere intentionem contrariam, præsumitur habere sufficientem, ut tradunt communiter doctores. (8. Imo satisfaciunt præcepto, etiamsi quis adeat ecclesiam cum intentione libidinosa videndi feminam, et simul audiendi sacrum, licet iste graviter peccaret, quia sic audiens efficit quiddam requiritur ad satisfactionem præcepti, habet enim assistentiam corporalem, et sufficientem attentionem cum implicita saltem voluntate satisfaciendi eidem præcepto. Nec obstat illa libidinosa intentio, quia hæc non tollit substantiam actus, quamvis illum inficiat: quotiescunque autem salvatur substantia actus, præceptum intelligitur per illam adimpletum. (9. Audiens sacrum ob devotionem, ignorans esse diem festum, si postea advertat, non tenetur ad aliud sacrum, quia jam satisfecit ob interpretativam, et virtuales intentionem satisfaciendi. (10. Audiens sacrum cum intentione ipsum audiendi ob devotionem, licet non habeat intentionem satisfaciendi per illud sacrum præcepto, vere satisfaciunt, etiamsi aliud sacrum non audiat: quia ad hoc non requiritur expresse velle satisfacere, sed ponere solum id, quod præcipitur, ut notant communiter theologici.

(11. Si autem audiat tale sacrum cum positiva, et actuali intentione per illud non satisfaciendi præcepto, Azorius, part. 1, lib. VII, c. 2, quæst. 6; Navarr., Medina, et multi alii cum Rosignol., quæst. 8, *De usu eucharist. et audit. sac.*, artic. 20, dicunt ipsum non satisfacere præcepto, quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum. Leg. *Non omnis*, 19, ff. *De rebus creditis*, lib. XXII, tit. 1. (12. Unde a fortiori, et maxime hic in moralibus non operantur contra positivam intentionem eorum, adeoque audiens tale sacrum cum positiva, et actuali intentione non satisfaciendi, non satisfaciunt, quia, ut dicunt ipsi, non potest esse actus obedientiæ cum voluntate expressa, et absoluta non obediendi; sed auditio sacri, prout præcipitur ab ecclesia, debet esse actus obedientiæ; ergo si fit cum voluntate expressa non obediendi, seu non satisfaciendi præcepto, non poterit talis auditio Sacri esse satisfactoria præcepti; sunt enim actus omnino repugnantes dicere: « Nolo satisfacere, et satisfacio, nolo obedire, et obedio, » adeoque, etc. Secundum autem multos alios satisfaciunt; uti est Pasqualigus qu. 1311, cum 28 auctoribus, qui sustinent, eum adhuc satisfacere præcepto. Vide verb. *LEX*, art. 4, n. 6 et 7, ubi adduntur auctores, et solvitur instantia.

(13. Ad satisfaciendum requiritur etiam præsentia corporalis, et assistentia moralis, id est, ut quis sit ita præsens physice, vel moraliter loco, in quo fit missa, ut possit dici unus e numero eorum qui humano modo libere assistunt, et cum sacerdote offerunt sacrificium. (14. Unde non est necesse, quod actu quis videat, aut audiat sacerdotem, nam surdus, cæcus, aut ob multitudinem populi distans, ut actu nec audiat, nec videat, satisfaciunt, si sacrificio sit præsens in ipsa ecclesia vel in loco, qui communicat cum ipsa ecclesia, ut in choro post altare, in sacristia habente ostium patens directe ad ecclesiam, etiam in atrio, seu platea extra ecclesiam, in quam ingredi non possit propter multitudinem, dummodo sciat missam inchoari, seu fieri, et sit illi multitudini ita conjunctus, ut faciat unum corpus morale fidelium sacro præsens, et assistens. (15. Sic pariter quis censetur moraliter præsens corpore, quamvis pergat ad sacristiam aliquid pro ministerio missæ allaturus, aut ad campanile campanas tracturus, cum hæc ordinentur ad illum Dei cultum, qui per sacrificium ei exhibetur. (16. Satisfaciunt præcepto qui de nave audiunt missam quæ celebratur in littore, sicuti et milites e suis tentoriis audientes missam quæ celebratur in campo publico ad distantiam 20 et 30 passuum, quia isti ratione suæ conditionis, ut censeantur moraliter corpore præsentem, sufficit, quod possint aliqua ratione cognoscere, quid agatur a celebrante. (17. Missam audiens e fenestra suæ domus, si domus sit omnino conjuncta cum ipsa ecclesia, satisfaciunt præcepto: quia cum sit interjectus solus paries, in quo est fenestra, censetur ipse moraliter præsens, cum sic facillime videat, et audiat sacerdotem, ejusque ministerium et actiones attendat. (18. Si autem domus sit omnino sejuncta ab ecclesia, ita ut inter fenestram, et ecclesiam mediet via, seu platea, licet videat altare in quo missa celebratur, non satisfaciunt præcepto, quia nec physice, nec moraliter est præsens ecclesiæ, et sacerdoti celebranti: non physice, quia corporaliter non est in ecclesia; nec moraliter, quia domus sejuncta, et platea, seu via interjacent ponunt quamcunque interruptionem, nec secundum communem hominum existimationem haberetur ut existens in ecclesia. (19. Qui interest missæ coactus, v. g. ligatus, et reluctans, non satisfaciunt, sicuti nec ebrius, aut dormiens, quia non adest modo humano, cum, ut supponitur, nequeat per notabilem partem missæ attendere, quamvis ebrietas, et dormitio esset involuntaria. (20. Qui tempore missæ in altam contemplationem, seu exstasim a sensibus abripitur, censetur adhuc satisfacere præcepto, maxime si pergat contemplari mysteria, quæ peraguntur in ipsa missa, quia manet moralis assistentia per præcedentem voluntatem nondum revocata; imo ex speciali gratia Dei censetur excellentiorem præ aliis moralem assistentiam habere tali sacrificio, ad ejus mysteria contemplanda sic mirabiliter elevatur.

(21. Ad satisfaciendum requiritur etiam attentio, tam interna, quam externa. (22. Interna est advertentia, seu applicatio animi ad aliquid, v. g. ad ministerium, et actiones, quæ in altari geruntur. (23. Externa est omissio actionum exteriorum impossibilium cum attentione interna, uti pingere, scribere, confabulari, etc. Ratio est, quia ecclesia præcipiendæ auditionem sacri, præcipit actionem humanam religiosam, qualis non est auditio sacri sine ulla prorsus attentione interna, sed cum omnimoda voluntaria distractione interna, et sine attentione externa, se occupando tempore missæ in actionibus externis moraliter impossibilibus cum tali auditione. (24. Unde non satisfaciunt præcepto, qui tempore notabili missæ scribunt, vel pingunt, vel negotia pertractant, quia hæc actiones ita occupant, ut cum illis attentio interna videatur esse impossibilis. (25. Neque satisfaciunt, qui per notabile tempus de re seria confabulantur, vel seras alias fixe aspiciunt, et considerant, ita ut moraliter loquendo nequeant attendere ad ea, quæ a sacerdote geruntur. (26. Nec satisfaciunt, qui per notabilem partem missæ legunt attentè librum profanum, v. g. philosophum, rhetoricum, poetam, et similia, ut litteras, historias, etc., quia lectiones istæ profanæ ex natura sua avertunt animum ab attentione debita ad missæ sacrificium, ut tradunt doctores. (27. Nec satisfaciunt, qui per notabilem partem missæ confitentur sua peccata, quia enarratio peccatorum ita distrahit, ut cum illa non videatur stare posse attentio requisita ad missam. Confitens enim non habet se per modum alicujus, qui cum sacerdote offert sacrificium, sed per modum rei, qui se accusat; accusatio autem, aut persona rei non spectat ad sacrificium, et sic sentiunt communis doctores, ut Suarez, Azorius, Tanner., Bonac., Tamburin., Stephan., Basil., March., Pasqual., Rosignol., et alii plurimi cum de Lugo, qui *De eucharist.*, disp. 22, sect. 2, n. 22, dicit esse sic omnino tenendum, quia, quæ actio, quæ fit, ordinatur ad obsequium Dei, non facit illam compatibilem cum auditione sacri, ut prætendebant aliqui: alioquin posset quis, dum audit missam, consulere patrem spiritualem, vel theologum circa casus suæ conscientiæ, posset inservire ægroto, sternere ei lectum, et his similia, quod non est dicendum, cum quælibet actio pietatis, quæ excludit attentionem requisitam ad missam, non sit compatibilis cum auditione sacri de præcepto.

(28. Satisfaciunt tamen præcepto, qui tempore missæ conscientiam suam examinant, eliciunt actus doloris, vel aliis piis actionibus se præparant ad confessionem, quia istæ actiones, ut habet communis, non excludunt attentionem requisitam ad missam.

(29. Satisfaciunt etiam, qui tempore missæ recitant officium canonicum, vel penitentiam a confessario impositam, et præceptam; nam æque cum istis, et aliis orationibus stare posset attentio ad missam

audiendam requisita, cum etiam istæ ordinentur ad Deum colendum, atque nihil prohibet duobus præceptis uno eodemque actu satisfieri. Non enim prohibet idem tempus; nam sicuti per idem jejunium habitum in die Quadragesimæ, in qua concurrat dies quatuor temporum, vel pervigilium alicujus festi, satisfit et oneri jejunii quadragesimalis, et oneri jejunii sacrorum temporum, et pervigilii, ita per auditionem missæ, et recitationem officii canonici, et penitentiam præceptam a confessario factam eodem tempore satisfit et oneri audiendi missam, et recitandi officium, et adimplendi penitentiam: nec prohibet defectus debitæ attentionis, nam cum etiam recitatio officii, et penitentiam ordinetur ad Deum colendum, est compatibilis cum attentione requisita ad missam; nec prohibet aliquod præceptum positivum, cum de hoc nullibi constat. (30. Satisfaciunt etiam musici, organædi, tympanistæ, chelistæ, tubicines, dummodo simul attendant, quod a sacerdote in altari geritur, nam cantus, et actus ipsorum referuntur ad hunc Dei cultum, nec necessaria impedit requisitam attentionem ad illa quæ in altaria sacerdote geruntur. (31. Sic pariter satisfaciunt collectores eleemosynarum, si simul attendant ad missam, sicuti ministrantes missæ sufficienter attendunt exhibendo suum ministerium, cum hoc sit actualis cooperatio ad sacrificium, imo et exhibitio partis ipsius sacrificii. (32. Omnes autem isti, ut satisfaciunt præcepto, debent integram missam audire, ex concil. Agathens., can. 47, ubi expresse habetur: « Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus; » et ex cap. *Omnes fideles*, De consecrat., distinct. 1: « Omnes fideles, qui conveniunt in solemnitatibus sacris ad ecclesiam, et scripturas apostolorum, et Evangelium audiant. Qui autem non perseverant in oratione usque dum missa peragatur... convenit communione privari. » *Vid.* art. 16, n. 1 et 2.

(33. Præceptum itaque audiendi missam non implevisse censetur, qui ante benedictionem ab ecclesia discedit, ex sententia cit. conc. Agath. Bened. XIV, constit. incip. *Declarasti*.

(34. * Missam auscultare diebus festis in quacunque ecclesia, etiamsi non sit propria parochialis, cuicumque fidei, ut præcepto satisfaciunt, fas est, ut consuetudo ubique obtinens, quæ proinde induit rationem juris communis, demonstrat. *De synod. diac.*, lib. VII, c. 64, § 10.

(35. * Huc referenda sunt nonnulla ex illis quæ leguntur in *Addit. ad P. Cumiliati tract. 111 de tertio Decal. præcepto*, cap. 11, § 1, n. 11, tom. 1, pag. 305, seqq.: « Colligendum est primo præcepto satisfacere, qui solet interesse missæ tanquam rei sacræ, qui adit ecclesiam volens partes Christiani adhibere; si enim non adit ex alia causa, reputatur adire ex ista; et uno verbo quicumque missam audit, si non constat, eum habere contrariam intentionem, præsumitur habere sufficientem ad implendum præceptum, ut sentiunt commu-

niter doctores. (36. Colligendum secundo non satisfacere præcepto, qui interest missæ coactus v. g. ligatus, et reluctans, ut et auctor docet, tract. 1, cap. 2, § 7, n. 1. (37. Si tamen quis coactus templum ingrederetur, et deinde voluntarie missam audiret, præceptum implet. Teneretur tamen priorem pravam suam voluntatem præcepto repugnantem, utpote grave peccatum jam commissum, in confessione aperire. Videatur Suarez, cit. disp. 88, sect. 3. (38. An autem præcepto faciat satis, qui ob intentionem pravam aspiciendi impudice feminam pergit ad audiendum sacrum, dissident inter se theologi. Affirmant communiter recentiores, sed alii verius negant cum S. Antonino II part., tit. 9, cap. 10, § 2, illorumque opinionem ut laxam, et falsam rejiciunt. Consulatur P. Daniel Concina *Theolog. Christ.*, t. V, lib. 1, dissert. 3, cap. 4, ubi difficultatem hanc examini subjicit, atque pro dignitate tractat. (39. Tum satisfaciunt præcepto qui tempore missæ actum doloris de peccatis ad confessionem necessarium eliciunt, vel aliis piis actionibus sese ad illam disponunt. Idem asserit P. Lucius Ferraris, v. *Missæ*, art. 17, n. 28, et de iis, qui eodem tempore conscientiam examinant. (40. At secus dicendum existimat auctor, tract. 1, cap. 2, § 7, n. 10, nisi de brevissimo examine sermo sit: «nam, ait, ut examen recte fiat, præcipue si longiusculum, a sacro nimis distrahere necesse est.» (41. Deinde paucis interpositis: «Idem et de collectoribus elemosynarum sentiendum, nimirum quod satisfaciunt, si simul attendant ad missam. Quia vero non est adeo facile ut omnes recensiti attentum animum ad missam conservare valeant, idcirco in re tanti momenti hortandi sunt ut missam privatam audiant.» (42. Satisfaciunt demum, qui tempore missæ, in altam contemplationem, seu exstasim abripiuntur: maxime, si pergant contemplari mysteria, quæ in missa peraguntur. (43. Verum non satisfaciunt præcepto, qui tempore notabili missæ scribunt, pingunt, ludunt, disputant, et id genus similia exterius agunt. (44. Non satisfaciunt item, qui per notabile tempus confabulantur, cor-

MISSIONES, MISSIONARI.

SUMMARIUM.

1. Concessio missionum pro regnis Bargao, et Bittia. — 2. Missionarii Latini episcoporum Græcorum Melchitarum jurisdictionem perturbare non debent, ad n. 5. — 6. De juramento præstando ante exercitum Missionis a missionariis regnorum Madurensis, Mayssurensis, etc. ad n. 7. — 8. Ipsi interdicitur translatio rituum gentilium in ritus Ecclesiæ catholicæ absque S. Sedis licentia. — 9. Item dispensationes concedere super observantia rituum Ecclesiæ. — 10. Sicque pariter prohibentur lavaera, et ablutiones ritu, et more paganorum, præter necessariam corporis munditiam. — 11. Juramenta præscripta præstare et observare jubentur. — 12. Pollicentur se *pareis*, id est abjectissimis viris omnia spiritualia præstituros; id quod iisdem injungitur sub pena privationis facultatum, etc. — 15. De missionariis in Sinis, et in regno Cocinchi-

na, ad n. 14. — 15. Alia ad rem ad n. 17. — 18. Missionarii ab episcopis missi tanquam visitationis pastoralis prænuntii recipi debent a parochis etiam regularibus in propriis ecclesiis, et domibus. — 19. Approbatio congregationis Missionis ab Alexandro VII. — 20. Vota simplicia in eadem emissa a nemine dissolvi possunt, præterquam a Summo Pontifice, aut a superiore generali in actu dimissionis tantum, ad n. 22. — 25. Missionarii presbyteri, aut clerici ad beneficia curata, aut residentialia extra congregationem promovendi nequeunt. — 24. Missionarii a Sede Apostolica conceditur privilegium celebrandi missam bis in die, in casu tamen necessitatis. — 25. Missionarii sacramenta secularibus ministrare non possunt, nisi episcopi, vicarii apostolici, vel cujusvis ordinarii loci impetrata licentia, etc., ad n. 26. — 27. Munera Missionariorum per Orientem. — 28. Alia ad rem ad n. 30.

ridet, et oculos quoqueversum in exeuntes, et introeuntes convertunt, vel qui, ut omnes decoris et urbanitatis modos servant, in id pene unum intendunt, ut salvent, et resalvent. (45. Non satisfaciunt quoque, qui per notabilem missæ partem libros legunt, vel epitaphia, aut picturas fixe aspiciunt et considerant. Non satisfaciunt etiam, qui per notabilem missæ partem dormiunt. (46. Qui autem copit audire sacrum intentione debita, sed postmodum vexatur a somno, si adeo resistat ut audiat sacrum ea attentione, quod saltem videat se non omittere audire partem notabilem, licet propter gravitatem et molestiam somni non attendat ad significationem, neque ad aliam meditationem, non peccat saltem mortaliter juxta PP. Salmaticenses, *loc. cit.*, punct. 5, num. 48. (47. Non satisfaciunt denique qui tempore missæ peccata sua confitentur, nisi excuset brevis confessio; nec confessarii, dum confessiones audiunt, possunt satisfacere præcepto audiendi missam, quando ipsi non celebrant, quia hæc, ut nemo non videt, omnino impediunt attentionem necessariam. (48. Quæres quoti temporis interna, vel externa distractio lethale crimen inducat? Resp. Illud sufficere tempus, quod æquivalet omissioni partis notabilis missæ; quippe audire missam absque debita attentione, idem est ac prorsus illam omittere. Sic censet Suarez citata pluries disp. 88, sect. 3, his verbis: «Si quis... eo modo (videlicet exercendo voluntarie actiones aliquas repugnantes debite attentioni missæ) magnam missæ partem audiat, peccabit mortaliter, et non implebit præceptum, si nimirum tanta sit pars, cujus ommissio sufficeret ad præcepti transgressionem.» (49. Hinc colligimus adversum cardinalem de Lugo, dis. 22, sect. 2, n. 4, eum præcepto minime satisfactorum, qui voluntarie per tempus duntaxat consecrationis foret distractus; cum ex superius dictis exploratum sit, illum non implere præceptum, qui solo tempore consecrationis a sacrificio abest.»*

(1. Missiones conceduntur pro regnis Bargao, et Bittia in magno Thibet. Ben. XIV, tom. 1, constit. 53, incip. *A dilecto*, et Const. 54, incip. *Litteræ*. (2. Missionarii Latini episcoporum Græcorum Melchitarum jurisdictionem non debent perturbare. Idem constit. 87 incip. *Demandatam*, § 13. (3. Transitum a ritu græco ad latinum Græcis non suadeant, nec admittant inconsulta S. Sede. Idem, *ibid.*, § 15. (4. Rituum Græcorum conservationem curent. Idem, *ibid.*, § 19. (5. Nec adversus illos dispensationes concedant, aut quidquam innovent. Idem, *ibid.*

(6. Missionarii regnorum Madurensis, Mayssurensis, et Carnotensis jurare debent observantiam constitutionum Apostolicarum, antequam missionis exercitio se immisceant. Idem constit. 107, incip. *Omnium sollicitudinum*, § 17. (7. Eorum juramenta subscripta exhibentur Summo Pontifici. Idem, *ibid.*, § 21. (8. Ipsi interdicitur translatio rituum gentilium in ritus Ecclesiæ catholicæ absque licentia S. Sedis. Idem, *ibid.*, § 14. (9. Item dispensationes concedere super observantia Rituum Ecclesiæ. Idem, *ibid.*, § 14. (10. Eisdem prohibentur lavaera, et ablutiones ritu, et more paganorum, præter necessariam corporis munditiam. Idem, *ibid.*, § 3 et 14. (11. Juramenta præscripta præstare, et observare jubentur. Idem, *ibid.*, § 28. (12. Pollicentur se *pareis*, id est abjectissimis viris omnia spiritualia præstituros; id quod iisdem injungitur sub pena privationis facultatum post quinquennium ipso facto incurrenda. Idem, *ibid.*, § 35 et 37. Alia ad rem vide verb. *BAPTISMUS*.

(13. Missionarii Apostolici in Sinis, si mandatis non obtemperaverint, in Europam revocari jubentur sub pœnis contra eorum superiores. Idem, constit. 59 incip. *Ex quo*. (14. Missionarii in regno Cochinchinæ prohibentur exercitium jurisdictionis, aut facultatum, extra districtus sibi assignatos. Idem, constit. 3, incip. *Tantopere*.

(15. Missionum sacrarum ad excitandam in populis pietatem utilitas commendatur ab experimento, et auctoritate. Idem, constit. 140, incip. *Gravissimum*, § 4. (16. Earum usus laudatur, vel injungitur a congregatione Concilii. Idem, *ibid.*, § 7. (17. Instructio fidelium in rebus ad salutem necessariis est præcipuus missionum scopus. Idem, *ibid.*, § 11.

(18. Missionarii ab episcopis missi, tanquam visitationis pastoralis prænuntii recipi debent a parochis, etiam regularibus in propriis ecclesiis, et domibus. Idem, constit. 109, incip. *Firmandis*, § 5.

(19. Missionis congregatio approbatur ab Alexandro VII. Idem constit. 69, incip. *Quo magis*. (20. Vota simplicia in eadem emissa a nemine dissolvi possunt, præterquam a Summo Pontifice, aut a superiore generali in actu dimissionis tantum. Idem, *ibid.*, § 3 et 4. (21. Nequidem vigore facultatum, quæ confessariis tribuuntur in jubilæis, aliisque Indultis. Idem, *ibid.*, § 3.

(22. Neque ratione infirmitatis, vel assecutionis beneficii curati, aut residentialis. Idem, *ibid.*, § 4. (23. Missionis presbyteri, aut clerici ad beneficia curata, aut residentialia extra congregationem promovendi nequeunt. Idem, *ibid.*, § 4.

(24. Missionarii a Sede Apostolica conceditur privilegium celebrandi missam bis uno die, in casu tamen necessitatis. Idem, tom. II, constit. 3, incip. *Declarasti*.

(25. Missionarii sacramenta secularibus ministrare non possunt, nisi episcopi, vicarii apostolici, vel cujusvis ordinarii loci impetrata licentia. Bened. XIV, const. incip. *Apostolicum*, § 10. Missionarii regulares in Anglia, in iis, quæ curam animarum respiciunt, et administrationem sacramentorum, subjiciuntur vicariis Apostolicis; et contraria quæcumque regularium privilegia sustulit Tridentinum concilium. Idem, *ibid.*, § 12 et 13.

(26. Tali decreto non solum afficiuntur regulares parochi, sed et cæteri, qui unum, vel plura sacramenta, renuente, vel irrequesito ordinario, secularibus ministrant. Idem, *ibid.*, § 14. In iis tamen, quæ regularem observantiam respiciunt, suis superioribus, non autem vicariis apostolicis, subjiciuntur. Idem, *ibid.*, § 15 et 16. Perinde enim habendi sunt missionarii regulares in Anglia commorantes, ac si intra monasterium degerent. Idem, *ibid.*, § 13 et 18. Imo vero in iis, quæ curam animarum, et administrationem sacramentorum spectant, etiam a superioribus regularibus corrigi, ac puniri possunt. Idem, *ibid.*, § 16 et 17. Vicarii tamen Apostolici judicium, sententiæ superioris regularis, ex jure cumulativo concurrentis, præpollet. Idem, *ibid.*, § 17. Cæterum vicarius apostolicus potest missionarium regularem ab officio suspendere, vel removere, quin superiori regulari causam pandere teneatur. Idem, *ibid.*, § 17. Eadem facultas competit quoque superiori regulari. Idem, *ibid.*, § 17 et 21. A decreto suspensionis, vel remotionis non conceditur missionario regulari suspensiva appellatio. Idem, *ibid.*, § 17.

(27. Missionariorum per Orientem munus est, ut schismaticos ad unitatem Ecclesiæ adducant. Bened. XIV, constit. incip. *Alata sunt*, § 19; missionarii ritus omnes Orientales intervertere non debent, nec conversis ad unitatem Ecclesiæ suadere transitum ad ritum latinum. Idem, *ibid.*, § 19 et 21. Missionarii non possunt dispensare cum Catholicis Orientalibus super observatione jejunii, aliorumque, quæ in ipsorum ritu præscribuntur. Idem, *ibid.*, § 3.

(28. Missionarios mutæ charitatis, et concordie officium maxime decet. Benedict. XIV, constit. incip. *Apostolicum ministerium*, in præmio. Missionibus Anglicanis quatuor vicarii apostolici præficiuntur. Idem, *ibid.*, § 1. Missionarii regulares ad Anglos, cum primum illo advenerint, debent se sistere vicariis apostolicis, eisque testimoniales litteras suorum superiorum exhibere. Idem, *ibid.*, § 6. Deberent insuper,